

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Jo. Christian. Palmmann

**Natalem Principis Optimi, Friderici Pii, Dvcis Meclenvrgici, Scholae Provincialis  
Byzoviensis Avctoris, Conservatoris, Die VIII. Novembr. Celebrandvm**

Byzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, [1764]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1698280807>


Druck    Freier  Zugang





MK-8813.





NATALEM  
PRINCIPIS OPTIMI,  
**FRIIDERICI PII,**  
**DVCIS MECLENBURGICI,**  
SCHOLAE PROVINCIALIS BYZOVIENSIS  
AVCTORIS, CONSERVATORIS,  
DIE VIII. NOVEMBR. CELEBRANDVM,

INDICIT

IO. CHRISTIAN. PALMMANN,  
AA. M.



B Y Z O V I I

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.  
ET ACADEM. TYPOGR.

1764

NATALI  
PRINCIPIS OPTIMI  
FRIEDERICI PII  
DACIS MEGLINARICIS  
SCHOLAE PROVINCIALE RUMAENIAE  
VACATORIS CONSERVATORIS  
DIE TUM VOLUMEN GERMANICO



BIBLIOTHECA  
HISTORICA ET HUMANISTICA  
ACADEMIAE ROSENBERGIANAE  
TITULUS LIBRARIUS  
1711

AD  
**FRIDERICVM**  
DVCEM MECLENBURGICVM,  
SCHOLAE BYZOVIENSIS  
STATOREM,  
**ELEGIA.**

Dum spirant alii caedes funestaque bella,  
Condita vixque, nouis cladibus, arma parant:  
Tu, FRIDERICE, Tu nimirum nomine dignus,  
Deliciaeque Dei, Deliciaeque hominum!

A 2 Pa-

Pacis sacra colis per sacrae tempora pacis,  
Ac dium dia mente reuoluis opus.  
Hinc Tibi religio curae est, dux vna salutis;  
Hinc, decus istius praesidiumque, scholae.  
Magna paras, Princeps, ipsis maioraque bellis;  
Immo, crede mibi, maxima bella paras.  
Tune Bonae Menti templum sacrabis inultus,  
Sponte sibi sacris hoste abeunte locis?  
Falleris! Iste orci rex arma excita cauernis  
Te contra ac omnes ordine struxit opes!  
Dux satanas est ipse suis; hortatur & instat,  
Ne turpi perdant regna opulenta fuga.  
Trux oculis vultuque minax, ad cornua pugnant,  
Barbariae fastus inuidiaeque furor.  
Hinc illinc volitant turpis conuicia linguae,  
In quibus haud modicum roboris ille putat.  
Tu vero contra, Princeps, audentior ito,  
Ingentique animo, fac, pia bella cie!  
Christus adest: arma ast sunt huius nescia vinci:  
Hoc duce quis dubitet bella mouere stygi?  
Adsunt, scito, boni, ac ipsi numerosa caterua;  
Nos etiam precibus, crede, feremus opem.  
Hos igitur patria si quando eieceris hostes,  
Et cingant diam laurea ferta comam:  
Tunc, FRIDERICE, ferent Te grandia carmina Magnum;  
Tunc dicemus, Io! plaudite, Victor adest!



**Q. D. B. V.**



Explicanti mihi nuper alumnis nostris particulias ali-  
quas selectas ex Cicerone, quum incidebam in  
locum illum orationis Sextianae de optimatibus,  
qui putatur clavis ea in re, plane mirum vi-  
debatur, unde tandem accideret, ut idem ipse locus magna  
obscuritate laboraret, qui lucem afferre deberet reliquis omni-  
bus eo in genere. Neque enim solum haerebant iuuenes nostri  
in recte intelligenda verbi istius vi, sed etiam plane obmutescen-  
tabant, cum res deuenisset ad vertendum in vernaculam. Diffi-  
cultur autem illis faciebat, ut animaduerti, non tam sensus  
grammaticus verbi, cui incommodo occurrebatur facile traden-  
da & declaranda vocis potestate, quam alia quaedam. Nam  
primum mirifice confundebantur ambiguitate, ingenii nondum  
satis multa lectionis exercitatione confirmatis ad iudicandum,  
quam maxime vim subiicerent voci in hac vel illa sententia:  
deinde plane istis haerebat aqua, cum Cicero aut ex pluribus  
significatibus, respecta hinc inde aliqua notionis parte vel etiam

A 3

ad-



addita, nouum quasi quandam finxisset; aut, neglecto vsu loquendi, inflexisset verbum ad Etymologiam; aut coegisset ad rei veritatem, iustaeque definitionis ~~argibet~~. Ac mihi quidem ipsi, vt ingenue fatear, obscurissimus repertus est locus tum, cum discipulis nostris accurate explicandus esset, qui legenti mihi ante intellectu facilis videbatur. Atque huius difficultatis quas inuenierim caussas, quae adiumenta, quam tollendae eius rationem inierim iam explicare mecum constitui; quamquam non deerunt, vt opinor, qui aegre ferant, rem ita tenuem proferri a nobis, qualis sit, quae pertineat ad locum aliquem Ciceronis intelligendum. Sed primum cogitent isti velim, me esse hominem scholasticum; de qua autem re potius scribere conueniret homini scholastico, quam de re scholastica? Deinde est in more positum, institutoque scholarum, vt, qui iuenum studiis regundis praefecti sint, cum de alumnorum in literarum studiis profectibus viris sui quisque loci doctis iudicandi potestatem faciant, istos dies indicant aliqua scriptiacula, qua cum doctrinam tali loco dignam probent peritis, tum vero ostendant, qua ratione in docendis literis versentur, h.e., de se ipsis iudicandi potestatem faciant.

Huic autem scribendi consilio aut omnino conuenire videbatur, si eum ipsum locum, qui erat in manibus, quomodo explicasse, ostenderem; aut certe melius istis facturum me videbam, qui vel ex multis aliorum virorum doctorum libris centonem farciendum, vel scribendi materiam ex alieno literarum genere, philosophia puta, arcessendam, vel ex Mythologicis Lexicis & Antiquitatum compendiis quaedam, nullo rerum delectu & vsu, exscribenda, misereque conglutinanda; vel denique germanice scriptae historiae particulam male latine vertendam censem. Quibus libellis magistri non magis ludere conantur lectores, quam discipulorum responsionibus ludunt auditores. Ut enim his dictant, & quaestiones proponendas, & responsiones dandas, immo annumerant, quae extempore prolatae videri debeant; sic ipsi compilant ex aliorum scriptis, quae excogitata esse



7

esse a se viris doctis persuadere cupiant. Scilicet digni talibus ludis prologi! Cogitanti porro mihi diu multumque de istius loci difficultate, occurrerunt per eam occasionem, ut sit, multa ac varia, quibus me ad vniuersam interpretandi facultatem adiuuari sentiebam; quae tironibus, quibus scribimus, cognitu non plane inutilia fore spero. Denique ea ipsa in re indignus meo loco ne reperiar, magnopere illud quidem vereor, sed, ut accidat, non vehementer euro: non quo negligenter aliorum de me iudicia, sed quod iamdudum dolui miseram scholarum nostra aetate conditionem, quae, cum artium vniuersitates praeclare secum agi potent, si virorum in illo literarum genere summorum doctrina ornentur atque augeantur, eo deuenierunt, ut ego meique similes adolescentum ingenii animisque conformandis, h. c., rei publice priuatimque summae, praeficiendi sint. Quae cum cogito, reuocoque in memoriam scholam illam prouincialem Portensem, vita mihi cariorem, quod saepenumero facere soleo animi oblectandi caussa; & comparo me cum viris ingenio & doctrina excellentissimis, quos ibi magistros habui: plane indignor, me haberi in magistrorum numero; praesertim cum video, qui, quantique viri vel adhuc literas doceant in scholis, vel non ita pridem docuerunt. Sed iam ad rem ipsam. Animaduerti igitur, quum cogitarem diu-  
tius de istius loci apud Ciceronem obscuritate, ut dixi, magna interdum difficultatem creare interpreti scriptorum in verborum significatu inconstantiam; non eam quidem, quae sit in varia vi vocis, visitata tamen illa, quae tota pertinet ad Grammaticam: sed eam maxime, quae oriatur, si scriptor, neglegto vsu loquendi, verbo subiecerit nouam aliquam atque inuisitatem vim; ob caussas, ut ita dicam, rhetoricas. Quemadmodum enim in nouis rebus notandis saepe coagit necessitas scriptores abuti verbis visitatis: sic similem significationis perturbationem suasit interdum prudentia civilis oratoribus, ut recedendum sibi putarent ab vsu loquendi vel ad commouendam admirationem, vel ad fallendam imperitam multitudinem, vel  
*de-*

denique ad docendos, irridendos, accusandos, monendos, co-  
hortandos auditores. Huius igitur generis inconstantia in ver-  
borum significatu maxime locum habet in orationibus, caussis  
que finitis, non item in quaestionibus infinitis, quamvis maxi-  
me pertineant ad vitam agendique rationem. Constitutis autem  
inconstantiae eius, de qua scribere instituimus, caussis, vnde  
profiscatur; loco, in quo fere habitet; genere, ad quod re-  
feratur; formis, in quibus insit: age, de his differamus vberius,  
& videamus, qualia sint, quae diximus, in laudato loco oratio-  
nis Sextiana, aliisque quibusdam.

Primum igitur insignem interpreti difficultatem affert,  
si inciderit in locum, in quo auctor, reliquis significatibus omni-  
bus, reuocet verbum, propter caussas rhetoricas, ad Etymolo-  
giam; caussae nimis in seruens suae. Atque hanc magnam  
dicentis artem notationis vocabulo intelligunt veteres, qui  
praecipientes de amplificandae orationis generibus, notationem  
primo loco collocant; non stultas illas ineptias, quibus hodie  
notationem censerri existimant. Quemadmodum enim, nescio  
an recentiorum rhetorum vitio, omnia amplificandae ornan-  
daeque orationis genera miserrime peruersa sunt, ut magis ad  
impediendam audientium intelligentiam inuenta videantur,  
quam ad adiuuandam; nec lumen afferant orationi, sed potius  
officiant: sic in primis de notatione nescio quid frigidum dispu-  
tant. Ego quidem eorum omnium, qui ista genera explicasse  
videri volunt, neminem legi, qui de eleganti eo notationis  
usu praeciperet, immo mentionem faceret. Nam Ciceronem,  
qui de Orat. L. II. c. 39. & Topic. c. 8. siluam magis quandam, at-  
que materiam vniuersam omnium amplificationis generum ex-  
ponere videtur, quam tradere, quemadmodum iis ornanda sit  
oratio; Ciceronem igitur facile excusauerim, quod iis locis, in  
quibus, quid sit notatio, explicat, nil addiderit de usu, qui pa-  
ret longissime, habetque magnam vim in dicendo; dummodo  
sit, qui recte ut sciat, quemadmodum ex ea ipsa oratione pro  
Sextio intelligitur.

Ac

Ac primum quidem mirifice inseruit commouendae audentium admirationi. Facile enim intelligitur, verbo alicui etymologice sumto recte ac vere tribui posse ea, quae de codem ex vsu loquendi ne cogitari quidem possint. Quod cum sit: auditores, mirantes insolentiam in verborum inter se diuersorum coniunctione, arrigunt aures, auent, quo sum res euasura, ac quomodo se expediturus sit orator. Deinde magnam vim habet ingeniose suoque loco collocata notatio ad benevolentiam conciliandam vel caussae vel personae. Constat enim, animos humanos interdum tanto amore amplexari aliquod verbum, ut rem invisam alias probent, dummodo nominetur illo verbo. Est igitur callidi oratoris, hoc concedere multitudini, ac abuti ad rem bonam commendandam eiusmodi verbis popularibus. Iam videamus hoc in quibusdam Ciceronis locis.

Boni, probi, optimates sensu ciuili, qui obtinebat Ciceronis tempore, ex vsu loquendi dicuntur, potentes, nobiles, Senatores; aut certe, qui ex Senatus auctoritate rempublicam administrari cupiebant. Obseruarunt hoc viri docti, sed putant, tantummodo interdum sic dici bonos, laudantque pauca quaedam loca, quasi ista vis vocis insolens esset, neque admidum frequenter obvia: quod mihi quidem longe aliter videtur.

Ac, ut libere dicam, quae sentio: locus ille Sextianus non recte habetur classicus eo de genere. Nam primum qui potest locus aliquis esse classicus, h. e. plane aperteque docere ac tradere cuiusdam verbi vim, in quo id ipsum maxime agitur, ut verbum non intelligatur; hoc autem Ciceronem egisse in laudata oratione, docebitur statim. Deinde, qui velint discere verborum vim ex orationibus, vehementer caueant, necesse est, ne decipientur. Etenim vtut Ciceronem admirer, bonum, honestum, probum virum habeam: tamen in actionibus senatoriis & forensibus non semper bona fide vsum esse manifestum est. Possem afferre exempla non pauca eam in rem. Neque mirum videatur in homine, qui putabat sapientis probique viri, bene sentire, ac rem paeclaram publiceque utilem

B

in



in agendo quasi propositam habere; prudentis autem, per ambages eo tendere, quo non detur cursum dirigere. Ac in orationibus quidem quomodo egerit, agendumque censuerit, cognoscant ex homine ipso, qui velint, in oratione pro A. Cluentio c. 50. Multa igitur simulabat in contentione forensi, de quibus multo aliter disputat in libris, quos scripsit animo libero ac tranquillo, philosophicis puta. Loci autem classici de optimatibus videntur L. I. de offic. c. 25. & L. III. de legibus a c. III. ad finem; de quibus mox.

Teneant igitur tirones, bonos, probos, optimates Ciceroni dici fere semper nobiles, potentes, Senatores; certe tum, cum sequatur usum loquendi. Sic Cicero in epistolis ad Lentulum quam grauiter bone Deus! conqueritur de ipsis bonis! de incredibili illorum peruersitate; malevolentissimis obtrectationibus; stultitia & inconstantia; immutatis voluntatibus ac sensu. Legat in eam rem, qui velit, epistolas VII. & VIII. ad Lentulum. Et tamen nominat bonos! Ex his igitur apparet, non intelligi eos, qui per se recte & bene sentiant de republica; sed, quibus propositum sit, defendere Senatus auctoritatem, aut, si subtiliter loqui velimus, suam ipsorum dignitatem. Nam inuidia, inconstantia, obtrectationes, insidia, perfidia erga bonos ciues, praesertim in re iusta, publiceque utili, num cogitari possunt in bene de republica sentientibus? Ac tota illa optimatum natio Ciceronis tempore qualis fuerit, audi L. III. de legibus c. XII. & XIII. Atticum & Ciceronem colloquentes. Ille vero ordo, inquit Atticus, non modo censores, sed etiam iudices omnes potest defatigare; & Cicero, omitte ista, Attice, inquit; non enim de hoc senatu, nec de his hominibus, qui nunc sunt, sed de futuris habetur haec oratio. Praeclara scilicet bonorum laus!

At veniamus ad locum L. I. de Officiis c. 25, qui mihi videtur classicus ea in re, propterea quod plane aperteque doceat, optimates qui sint. Eo autem loco manifeste opponuntur inter se ii, qui studiosi optimi cuiusque sint, & ii, qui studiosi

vni-

vniuersorum; dicitque Cicero, grauem & fortem virum h. c. in optimorum consiliorum factorumque conscientia contemnentem humana omnia, beneque cupientem ciuiibus, hunc igitur debere se tradere totum reipublicae, neque opes aut potentiam consecrari; & tempublicam sic tueri, vt consulat omnibus. Ergo, qui omnibus consultit, potest atque adeo debet abesse ab optimarum partium studio, nimis si optimates dicuntur ex vsu loquendi. Ac L. III. de legibus, c. VII. Quintus, ista (tribunitia) inquit, potestate nata, grauitas optimatum cecidit, convaluitque vis multitudinis. Cap. XIII. suffragia in sua ciuitate nota esse iubet Cicero optimatibus, populo libera; quae omnia, ac totus ille locus, aperte docent, optimatum verbo significari nobilitatem & Senatum. Denique c. VIII. optimates ipso vocabulo Patrum appellat, vt plane dubitationi nullus locus relinquitur, Ciceronis tempore verba bonorum, proborum, optimatum callide substituta esse in locum inuisorum verborum, quibus vtitur eadem in re Liuius, Patrum nempe, nobilium, patriciorum, Senatus.

Atque in eo ipso loco orationis Sextianae, quamquam toto ingenio abutitur Cicero, ne forte optimatibus nobiles significari suboleat populo: tandem tamen post multas ambages reddit eo, vt dicat: ipsos optimates grauissimos & clarissimos ciues numerari & principes ciuitatis, h.e. (vt intelligunt statim, qui, quibus tribuebatur apud romanos grauitas, claritas, principatus, didicerunt) nobiles, Patres, Senatum. Hunc igitur illius verbi significatum si tenuisset constanter: forsitan esset aliqua difficultas in inueniendo, inuentum autem facile foret tenere. Iam vero, cum recedat nonnunquam in hac oratione in verbi istius vsu a consuetudine dicendi; recurratque ad Etymologiam: difficillimam intellectu fecit orationem, certe partem eam, quae est de optimatibus. Ac qui aliter esse posset, cum difficillimam intellectu esse voluerit & legentibus & audentibus. V. c. genus vniuersum optimatum circumscriptit c. XXXXV. sic: omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt,

B 2

nec



nec natura improbi, &c. Porro sic: qui qui integri sunt, & sani & bene de rebus domesticis constituti. Paullo ante numerauerat inter optimates, municipales, rusticos romanos, equites, libertinos. Vide quae so, quam impudenter mentiatur, si subiectas hic huic verbo vim visitatam. Libertini iine sunt nobiles, Patres? municipales, equites, iine gubernatores reipublicae? Quomodo igitur expediemus nos ex hac difficultate? Vna profecto via relinquitur, vt redeamus ad significationem verbi etymologicam. Nam etymologice sunt boni, qui sunt in bonis i.e. diuites, & propterea boni ciues, qui abhorrent a rebus nouis & tabulis, ac propterea defendunt Senatus auctoritatem, quod rerum publicarum commutationem cum summis priuatarum rerum incommodis coniunctam esse videbant. Ac hoc vnum si teneas, expedes te ex multis huius loci difficultibus. Nam quam verbo vim praeter hanc subiecerit; de hac re post. At dicet aliquis, quaenam ea in re difficultas? quis non statim videt, eo sensu dici optimates hoc loco? videt scilicet, qui dudum multa lectione ingenium subegerit, ac discernendis subtiliter notionibus assueficerit; sed nescio an multi. Sed fac, statim videant omnes. Qui vero? si quis importunus vrgeat te, quaeratque, quo iure tu negligeres vsum loquendi, ac sequereris Etymologiam? praeferimus cum ineptire recte quidem putentur etymologicci interpretes? quid tu tum? quo verteres te? ego quidem nescio.

Difficultas autem in eiusmodi significatu primum est in eo, quod verbum positum sit quasi ἀπαξ λεγόμενον; ea autem, quis nescit, quam habeant difficultatem; praeferimus cum sint in rebus arduis, obscuris, non sensibilibus. Deinde in verbis, quae ex vsu loquendi numquam etymologicce significant, interpreti ne venit quidem in mentem, recedendum esse ab vsu loquendi, & repetendas vocis origines. Porro accurate tenet is, necesse est, dicentis ingenium, audientium mores, opiniones, errores, orationis consilium, tempus, & quae sunt ha-

huius generis alia, cui suboleat eiusmodi *ἀνομαλία*. Denique de industria plerumque ea ars a dicentibus occultata est; eoque difficilius, protrahere in lucem. Interdum accedit etiam aliqua *ἀνθεβολία*. Cogitanti vero mihi, quid sit, cur Cicero primum luserit in verbo optimatum in oratione pro Sextio, quod neque probatur per se, neque ipse solet; deinde cur transferit ad Etymologiam, quod abhorret a populari ratione dicendi: eius insolentiae caussa esse videtur haec: ut ea ratione confundaret audientium animos, ne optimatum studium inuidiam faceret Sextio reo. Hoc autem futurum erat, si optimi cuiusque studioso, qualis erat Sextius, id vnicce propositum esse putaretur, ut nobilium, potentium, Senatus auctoritatem defenderet atque augeret. Nunc autem Cicero cum voci optimatum eam vim subiecisset, ut conueniret verbum in omnium ordinum homines: & Sextium ea arte inuidia liberabat, & optimates ipsos. Temporibus igitur inseruieadum putabat, quibus ob recentem Sullae, nobilitatis fautoris, dominationem homines ferre non poterant optimatum potentiam; inuisique erant populo, qui earum partium habebantur.

Reliquum est, ut ostendatur, qua ratione superanda sic ac tollenda huius generis difficultas; quae praceptio, si qua alia, anceps est & lubrica. Ac primum quidem intelligitur, non recte in vniuersum reiici interpretationes etymologicas; deinde autem, qui velit transire ad Etymologiam, cum debere afferre multas & idoneas caussas, eius fere generis, cuius aliquas commemorauimus. Atque eadem fere ratio est verborum, quae plerumque dici solent improprie, interdum proprie. Ut enim fieri solet id, aut iisdem aut similibus de caussis: sic ea loca habent eandem interpretandi difficultatem, eandemque cautionem. Ac comparanti mihi hanc Ciceronis consuetudinem cum librorum diuinorum scriptoribus destinatum erat, ea ipsa, quae diximus, transferre ad interpretationis sacrae usum; praesertim cum viderem, quam graues ea de re nostra aetate

B 3

D

controversiae ortae essent; v. c. quid significant δαιμόνια, πνεύματα, Βασιλεία των ψευδών; item verba in vniuersum omnia, quibus Paullus vtitur in Epistola ad Hebraeos ad describendum coelum; denique proh dolor! etiam ea, quae doceant Jesu Christi aut yeram diuinitatem in genere, aut aeternitatem, omnipotentiam &c. aliis nempe pugnantibus pro interpretatione aut etymologica, aut propria, aliis contemnentibus totum illud institutum. Ad eas igitur controversias dirimendas nonnihil facere arbitrabar istas obseruationes. Sed ab instituto pulcro, opinor, ac laudabili reuocabat scribendi consilium, tempus, locus, exigua ingenii vis, deterrebat autem plane immensus labor. Relinquemus igitur rem integrum aliorum virorum doctorum ingenio, & otio. Neque tamen possum elmittere hunc locum, quin mirari me profitear, qua tandem de caussa nonnulli in vniuersum contemnendos, vituperandos, deridendos putent, qui interdum aut ab vsu loquendi ad Etymologiam, aut a sensu proprio ad improprium, recedendum sibi arbitrentur in libris diuinis. Nam cum id Cicero fecerit ad demulcendos, conciliandos, capiendos audientium animos: quidni idem facere & potuerunt, & debuerunt scriptores diuini in tanta christiana doctrinae inuidia, nouitate, obscuritate? Neque vero ego sum is, ne quis erret, qui eo interpretandi genere aut saepius, aut sine delectu, aut pro arbitrio ac temere vtendum censem, vel omnino ipse vtar: qui potius in librorum diuinorum aliorumque interpretatione multorum ignorantiam rideam, idque in primis conqueri soleam, in scholis adduci ad peruersum eiusmodi interpretandi genus iuuenes, & deesse, qui possint melius. Sed in vniuersum vt inepta putetur ista ratio, nullo modo ferendum arbitror. Qua in re inprimis mirari soleo, hoc fieri fere ab iis, qui ad hebraicas adiuuandas literas, quorum statores videri volunt, nihil afferant, praeter Etymologias. Qui in aliis quod contemnunt, cum in se laudari cupiant, quis est, quin arrogantissimos existimet? Nos autem, qui tironibus scri-

be-

bere & volumus & debemus, satis habemus, si ostenderimus, qua ratione iuuenes nostros ad recte intelligendos veterum libros h. e. faciliores adducere soleamus; diuinos, h. e., difficiliores relinquentes iis, a quibus maior ingenii atque exercitationis vis iure requiratur.

Alterum genus difficultatis in interpretando esse diximus in verbis ab vsu loquendi aut ad dialecticam *angliceas* aut ad rei veritatem reuocatis; quod fit cum ab oratoribus interdum, tum saepissime a philosophis, ac omnino iis, qui de aliqua arte praecipient. Ac in philosophia quidem reliquisque artibus necessitatibus fuit; in oratoribus autem, ac sermone vulgari artis est prudentiaeque. Atque ut a philosophiae, eloquentiae ac reliquarum artium scientiarumque magistris ordiamur, quos constat verbis antiquis ac visitatis sensum subiecisse nouum atque inusitatum, cogente ita necessitate; illorum quidem inconstantia aliquo modo, vt ita dicam, constans est, habetque suas regulas atque leges; ac propterea non magnam difficultatem creat peritis, h. e., iis, qui cum teneant res, scriptorum nimirum placita, dogmata, praecepta, tum significatus varietatem didicerunt multo vsu, diligentique lectione: quae omnibus certe inesse deberent, qui velint iuuenes docere latinas litteras. Nos tamen tironum caufsa istius difficultatis genera collecta proponeamus; euitantur enim facilius, quae ante prouisa sunt. Ac primum hoc pertinent sua cuiusque artis vocabula, v. c., in philosophia qui sint fines bonorum & malorum; quid genus; quae forma; quae materia & innumera alia; in rhetorica, quae sint loca, qui mores, quae notatio, imago, collatio, &c. item in reliquis artibus omnibus. Deinde accurate descendus est vsus verborum, quae aliud significant sensu ciuili ac populariter sumta, aliud ex mente philosophorum; v. c. fortitudo, comitas, constantia, grauitas, integritas, aequitas, prudentia, probitas non habent in vita communi vim eam, quam obtinent in libris philosophorum: item haec: scire, opinari, sententia, probabilis, & innumera alia. In philosophia



noua accedit difficultas, ut verbis iisdem alia atque alia vis subiicienda sit pro diuersitate seclae.

Postremo videndum est, ad quam quodque verbum artem potissimum referatur. Neque enim historiae ornamenta sunt, quae historiae aut hominum; neque historici grauitas & auctoritas iudicanda est ex orationis grauitate aut viri auctoritate.


Atque huius generis difficultati magna adiumenta attulerunt virorum summorum vigiliae, qui obseruatam multa lectione verborum varietatem coniecerunt in Indices, quorum studio vix pares gratiae possunt agi; praesertim cum labore illum in se suscepint ii, quorum copiam faciat non omnis aetas. Sed tamen caue putas, istis libris omnem istam interpretandi difficultatem penitus sublatam esse. Memini ego, cum commendasssem iuueni cuidam, Ciceronem legere & intelligere cupienti, Indices Ernestianos, eum saepius ad me venire querentem: his aut plane non adiuuari se ad intelligendum aliquem locum, aut, etiamsi sentiret posse peti inde auxilium, tamen se non intelligere verba ipsa, quibus Ciceronianum verbum esset explicatum. Atque id quidem sua culpa. Neque ceteris iuuenibus, vt nunc quidem scholae sunt, melius rem successuram arbitror. Nam primum bene latina vix intelligunt, plerumque quotidiana barbare vertendi consuetudine barbari & ipsi facili. Deinde incredibilem difficultatem iuuenibus creat mira significationum varietas ad diiudicandum, quae verbo vis in hoc vel illo loco subiicienda sit.

Expertes enim plerique sunt litterarum romanarum, antiquitatis, historiae, imperii; ac multo magis artium, eloquentiae v.c.; hinc ignari rerum, quae verbis notantur. Quae cum ita sint: scholae nisi nauctae sint magistros idoneos, qui manu quasi deducant discipulos ad Indices istos, tamquam aliquos fontes: nunquam futurum est, vt inde ipsi hauriant. Ridiculum quidem est, si audias pueros Cornelium; & adultiores Ciceronem legentes vertere verbum de verbo: genus scripturae, principum

pum personae; item copiose ornateque scribere, bene beataque viuere, grauiter ferre: plane autem *atra bile tumet iecur*, id si fit, magistris vel audientibus, vel etiam praeeuntibus. Monendi igitur sunt iuuenes identidem inter legendum: verborum vim aliam esse in rebus ciuilibus, aliam in rhetoriciis, aliam in philosophia. Ego quidem in explicando Cicerone id maxime mihi agendum putaui semper, vt ad dignoscendam hac ratione verborum vim adducerem iuuenes atque assuefacerem. Atque vna illa industria effectum arbitror, vt, qui olim disciplinae meae traditi essent, id non sine sua utilitate factum esse profiterentur. Hac enim ratione & magna multarum rerum copia iuuenum animos locupletari intellexi, & in primis acui iudicandi facultatem; melius certe, quam capere possent nostri rei scholasticæ euersores, qui ingeniorum conformatiōnē vnicē tribuunt suis scientiis; (ita enim vocant, bonarum litterarum ne nomen quidem ferentes). Sed redeo ad rem. Eius generis igitur difficultas in legendis veterum libris, quae virorum summorum obseruationibus facile tollitur, si ingenium subactum accesserit multaque lectiōne exercitatum: ea ipsa, quam misere perturbet rem christianam nostris temporibus, scimus omnes, ac dolent viri boni. Quod autem in vniuersum reiiciendi non sint, qui verba librorum diuinorum ad definitionis iustae subtilitatem reuocanda censeant; deinde quomodo ea in re versandū, ac inuestigandum, populariterne verbo aliquo vsus sit scriptor, an ἀνγιβως? idque singulis locis; quod definitio non fingenda sit pro arbitrio, nec haurienda ex libris nostrorum philosophorum, plerumque male sanorum, sed colligenda ex ipso scriptore: post virorum doctissimorum scripta a me dici non est necesse; praesertim cum dudum in multis multorum exemplis cognouerim, frustra p̄aecepta dari iis, qui non ab ineunte aetate ad interpretandi sollertia adducti sint Latinorum Graecorumque libris accurate diligenterque tractandis; inutiliter autem moneri eos, quibus propter insitum quendam animi furorem proposi-

C

tum



tum sit, sapientiam diuinam, quae maxime cernitur *ἐν μεγάλῳ τῷ σαρκὶ*, immutare in sapientiam humanam.

Sed longe maiorem difficultatem habet res, si orator verbum populare ab vsu vulgari reuocet ad rei veritatem; atque de hac rhetorica difficultate maxime nobis constitutum erat dicere. Cum enim in multis verbis magnus error versaretur, ac nomina venderentur pro re; tollendum autem illum censerent dicentes: factum est, vt verbum ab vsu vulgari reuocarent, eamque ipsi vim subiicerent, quae aut suberat olim, aut tamen subesse debebat. Ut eodem Ciceronis loco utar: optimates quoniam ibi commendaturus erat; hoc autem fieri non posse videbat; si verbum ad usum loquendi coerceret: primum redibat ad Etymologiam, vt vidimus, vt omnes pecuniosos, divites, beatos ad optimatum numerum adiungeret; deinde, cum ne ea quidem ratione inuidia omnis tolleretur, propterea quod ita pauperes, & tenues h. e. longe maior pars populi segregaretur ab optimatibus, quam opinionem, veram forte ac iustam, vt euelleret e plebis animis, hac oratione vel maxime egisse videtur: assumit denuo significatum, eosque omnes optimatibus annumerari dicit, qui reuera bene sentiant de republica, & omnibus in uniuersum ciuibus consultum velint. Inde est, quod libertinos etiam inter optimates referat; ac ea in optimates conferat, quae iis neque ex vsu loquendi, neque ex Etymologia conuenire manifestum est. Neque enim opes, nascendi locus, maiorum merita; neque nummi, redditus, praedia efficiunt, vt quis aut possit, aut velit tueri rem publicam; ad quam defendendam ac gubernandam quot & quanta pertineant, quae scientia, qui animus, quale ingenium, quae constantia, Cicero ipse ibidem explicat.

Haec igitur quum optimatibus tribuit: facile intelligitur, verbi significatione illum vti ea, vt sint, quales esse debent, qui velint in republica recte tueri nomen optimorum. Etenim ad virum bonum, si sit, qui velit dici haberique, per-

ti-

Vinet omnis illa laus ingenii, animi, sapientiae, prudentiae, literarum; certe ut bene sentiat. Ex quibus omnibus efficitur, optimates a Cicerone hoc loco descriptos esse non, qui appellantur ita more vulgi, sed quales esse deberent, qui vellent florere laude bonorum ciuium, ac carere inuidia apud populum. Eodem pertinere arbitror exordium orationis contra Rullum ad populum; in quo dicit, consulem se futurum esse popularem. Nam si quis Ciceronem promisso arbitretur, consulem se futurum eum, qui omnia, quae diceret, quaeque faceret, multititudini iucunda esse vellet, vehementer erret. At hi homines erant ex vsu loquendi populares, quemadmodum ipse Cicero docet in oratione Sextiana. Qui ergo? nimirum recessit ab vsu vulgari, verbumque reuocat ad rei veritatem. Ex vsu enim loquendi nominabantur homines populares, in primis tribuni plebis, qui aut multitudini h. e. tenuibus proficuas leges promulgabant, v. c. agrarias, frumentarias, nouas tabulas; aut populi potestatem proferebant, ut Gracchi, Marius, alii. Hoc autem sensu Cicero neque fuit popularis consul, neque esse voluit. Ipse igitur interpretatur vim verbi, ut distinguat inter eos, qui populares sint oratione, & qui re. Etenim qui reuera populo vniuerso bene cupiebant, omniumque commodis consulebant, neque poterant, neque debebant tollere e foro fidem, eiicere possessores ex agris, eripere reipublicae ornamenta & praesidia eiusmodi legibus, quibus prospiciebant paucorum inopiae, nocebant autem populo, ac necessario perturbabant rempublicam: sed debebant saluis legibus, salua re publica, consulere omnibus, tueri otium, pacem, fortunas ciuium. Jam vero id qui faciebant, vulgo non dicebantur populares, sed qui illud. Cum igitur Cicero se hac ratione consulem popularem futurum dicat: patet, infletere eum verbum ad rei veritatem. Ac quidem artem ea in re summam, singulari emque ac prope diuinam prudentiam, quis est, qui non statim videat? qui non admiretur? quae quidem tanta est, ut,

C 2

quo

quo quis praefet hac ingenii vi, eo propius ad reginam illam  
humanarum artium, eloquentiam accedere videatur.

Huius loci non est, explicare pluribus, quam sapienter  
hoc fecerit Cicero, quam ingeniōse, quam felici denique euen-  
tu. Qui autem scit, leges agrariae quid sibi voluerint apud  
Romanos, quam non potuerint non gratissimae esse populo,  
quippe quibus constituebantur tenuiorum fortunae, neminem  
denique ante Ciceronem vel ausum esse, legem agrariam impe-  
dire oratione: is deum aliquem in dicendo existimet eum, ne-  
cessē est, qui primus id vel ausus fuerit, vel perfecerit.

Nos satis habemus, docuisse, incidere nonnunquam  
tempora, vbi recedendum sibi putauerint dicentes ab vsu lo-  
quendi, & transierint ad significatum plane alienum, & inter-  
dum maxime durum. Locus autem, vti facile intelligitur, ei-  
iusmodi immutationi significationis verborum vulgaris proprie-  
t̄ est in orationibus; ac propterea mirum videri posset, idem se-  
cisse in paradoxis Ciceronem, quae viderentur scripta philo-  
sophica. Eorum enim omne acumen est in ista verborum infle-  
xione. At animaduerterunt dudum viri docti, esse ea quasi or-  
atiunculas inuectivas in Antonium, quamvis careant nomine.  
Ac ita bene se res habet: pertinent enim eo nomine ad elo-  
quentiam.

Difficultas autem in eiusmodi locis interpretandis pri-  
mum est in animaduertenda ea ipsa arte; deinde in diiudicandi mo-  
lestia, eane arte vsus sit orator, nec ne? Neque enim iudicari  
res debet ex leui aliqua coniectura, neque ex sensus facilitate,  
quod ita omnia bene inter se cohaereant; ultra quae quotus quis-  
que hodie in interpretando sapit? Sed afferendae sunt causae  
idoneae, quibus adductus orator ad eam artem descendisse ex-  
istimet, ex populi moribus, audientium errore, vulgi opini-  
onibus. Vehementer denique cauendum est, ne quis, in-  
uenta verbi alicuius in loco quodam eiusmodi significatione  
rhe-

rhetorica, eam statim referat in numerum grammaticarum significationum; quod nullo modo fieri potest.

Atque hac immutandarum in verbis vulgaribus significationum ratione, propter causas rhetoricas, innumeris locis orationum Jesu Christi, vere diuini oratoris, intelligentiam adiuuari posse arbitror. Tempore enim Jesu Christi, si quo unquam alio, in magno errore versabantur rerum diuinuarum verba, ad quorum interpretationem vix aliud quid relinquebatur, praeter hanc artem, reuocandi verba ab vsu vulgari, malo, & inepto, ad rei veritatem. Jesum Christum autem reuera ea ratione egisse cum populo, manifeste docet oratio illa apud Matth. c. V. VI. & VII. Ac multa eius dicta omnes, opinor, interpretantur ex illa arte, quamuis nesciant, cur? v. c. illud apud Johann. c. VIII. v. 39. & 41. Et istis similibus omnibus, qui bus explicat is vim τῆς βασιλείας τῶν ἁγανῶν, verbi, quo vtebantur tum temporis Judaei omnes ad significandum Messiae officium, istis similibus igitur quid aliud egit Jesus, nisi vt tolleret errorem verbi, ac renocaret a Cabballistarum nugis ad rei veritatem? Sed haec aperta sunt. Multo autem plura verba ea ex arte dicta, ac propterea inde etiam interpretanda esse arbitror, v. c. ἀγιος, ἀγιάζειν, τέλειος, ἐπέγνη, δόξα, δοξάζειν, παράκλητος; ac in vniuersum plurima loca orationum Jesu, in primis apud Johannem. Neque innumera loca Pauli aliter commode intelligi posse videntur. In quorum verborum significatione ex mente Rabbinorum tradenda elaborarunt magna quidem cum laude viri docti; sed, pace eorum dixerim, materiam pulcherrimam diligenter congestam proposuerunt magis, aliis ingenio & arte tractandam, quam vt ipsi tractassent. Atque illorum librorum usus praeterea hoc incommodum habet, magnum sane, vt quis Jesum Christum rabbinicas significationes vbiuis verbis tribuisse putet; quod plane non est. Vellem igitur, magnus aliquis vir, qui praeter reliqua interpretandi subsidia, in quibus non ultimum locum tenet rhetorica, a litteris



rabinicis instructus sit, eum sibi laborem vt imponi pateretur; dignum profecto summa & ingenii & doctrinae vi, ac utilissimum praeterea & iucundissimum libros diuinos intelligere cu-  
pientibus, h. e., omnibus bonis.

Postremo magnam difficultatem interpreti creare diximus verborum significatum eum, qui mixtus sit & quasi conflatus ex pluribus aliis. Quae audacia quamquam propria est poetis, quorum & suauitas & sublimitas fere omnis cernitur in illa miscendorum fingendorumque verborum tempestiva potestate; vnde catachresis illa & hyperbole: tamen ea non carent omnino oratores. In eodem orationis Sextiana loco aliquoties vtitur Cicero verbo bonorum & optimatum sic, vt sint nobiles & Senatores ex vsu loquendi, non omnes quidem; sed ii, qui bene de republica sentiant. Ex quo intelligitur, addidisse eum ad optimatum significatum proprium partem notionis eius boni. Quemadmodum vero poetae faciunt id suavitatis cau-  
sa, vti diximus: sic oratores artis tractandorumque animorum causa; ad quam prudentiam eiusmodi significationum coniunctio in primis pertinet. Quanquam non negauerim, male abusos esse interdum dicentes ea arte ad decipiendos incautos: insidiis enim quam maxime aptus est iste locus. Res autem & per se honesta est, & inferuit praeclare animis populariter monendis, cohortandis, docendis, excitandis. Nam in multitudinis animos nisi quis eiusmodi artibus se insinuare didicerit aut velit: is nesciat, necesse est, naturae humanae ingenium.

De difficultate vero interpretandi eiusmodi loca, non necesse est plura dicere. Intelligitur enim per se, vix contingere ingenio acutissimo, vt accurate discernat, quae notionis pars ex mente auctoris de hac vel illa significatione reseenda, quae retinenda, ac cum noua ista coniungenda sit; praesertim si id fiat in nominibns rerum non sensibilium, quales fere sunt res diuinae. Quod si vero quis ingenii bonitate ac exercitatio-  
ne multo lectionis vsu comparata consequi potuerit summam

il-



23

illam isto in genere scriptorum diuinorum artēm itā, vt valeat acute colligere ex singulis verbi alicuius significatibus singulas notionis ideas, ingeniose ab illis coniunctas; neque resecet iusto plus, neque retineat: is, credo, & bene interpretabitur libros diuinos, & ornate, copiose, ac populariter verba faciet ad populum de rebus diuinis. In epistolis Paullinis quidem interpretandis vbique locorum haereat, necesse est, qui non vel maxime ab hac facultate instructus acceſſerit. In capitibus VI. & VII. epistolae ad Romanos, vt hoc vtar, nihil fere opis aliunde expectandum est interpreti, nisi ex hoc uno fonte artis rhetoricae. Manifestum enim est, Paullum vni verbo non quidem plures significatus, sed vnum significatum, confiatum tamen ex pluribus aliis, subiecisse: quorum recte colligendorum labor incredibilem difficultatem habet; praesertim cum in resecandis atque retinendis singulorum significatum ideis ne in uno quidem verbo vbique sibi constet.

Scribenti mihi haec venit in mentem v. 2. cap. X. epistolae prioris ad Corinthios. Locus is mihi semper magnam obscuritatem habere visus est; nec, qua ratione expediant rem interpretes sacri, scio, cum mihi ex eo ipso tempore, quo Portam, tamquam aliquem otii portum, reliquerim, parum temporis ad legendum concessum sit, librorum autem ne nunc quidem copia detur. Quid si sic? *Βαπτίζεσθαι εἰς τίνα* est ex mente christianorum, a parte nimirum hominis; hac re profiteri, agnoscere se dogmata eius & placita de rebus diuinis, & ponere se spem salutis ac fiduciam in eo, in quem baptizetur. Hae igitur sunt quasi duae partes notionis vniuersae. Deinde alio sensu dicitur *Βαπτίζεσθαι*, qui recipitur in foedus gratiae cum Deo per & propter Jesum Christum; vt baptismus sit medium salutis, vt loquimur in scholis. Jam vero neutro sensu, si sumseris pure, dici possunt Israelitae *βεβαπτισμένοι εἰς Μωσῆν*. Nam priori sensu debuissent fiduciam salutis posuisse in Mose, tamquam auctore; quod non fuit: posteriori sensu non potuif-

fec

set per Grammaticam addi, εἰς Μωσῆν. Quid igitur? nimis rūm Apostolus coniunxit notionem vtramque, refecata vtrinque parte aliqua; ac si dixisset: Israelitae omnes habuerunt, cum duce Mōse migrarent ex Aegypto, vsum externum mediorum salutis. Atque id voluisse dicere Apostolum, intelligitur facile. Cohortatur enim eo loco Corinthios, vt omnem darent operam, vt promissa potirentur beatitate. Neque enim deberent sperare, externorum mediorum vsum, doctrinam de Christo, baptismum, sacram coenam, sufficere per se ad salutem. Hinc addit: bene cogitarent, eadem externa media habuisse olim Israelitas; neque tamen propterea probatos fuisse Deo, aut potitos promissionibus diuinis. Causa vero, cur non planis verbis & propriis vsus sit, in eo est, vt similitudo, quae ea in re esset inter Christianos nunc & Iudeos olim, eo magis in sensus incurreret, si externa media salutis apud Israelitas, quae reuera & proprie non eadem erant, iis tamen verbis appellaret, quibus appellabantur externa media Christianorum. Ac ego quidem num ita recte sensum Apostoli aut ceperim, aut exposuerim, aliorum sit iudicium: commode certe ea ratione intelligi posse videtur locus obscurissimus.

Neque vero magnopere vereor, ne quis imperitus, haec si legat, ad Cocceianos me reiiciendum censeat. Eorum enim si ea mens fuit, vt vni verbo interdum significatum, conflatum ex plurium significatum partibus, subesse putarent; recte illi quidem; neque tollitur sensus unitas, ne quis erret. Sin aliter senserint: nihil ad me.

Dicentibus autem de rebus diuinis, dici non potest, quantam rerum copiam, ac maxime popularem, suppeditet ea ars; quem afferat orationi ornatum, quam perspicuitatem! Ae audienti mihi legentive virorum, non admodum peritorum interpretandi, orationes, saepenumero mirum visum est, unde haberent insignem rerum copiam? Praesertim cum sentirem, non aliende arcessita esse, quae dicarent, sed petita ex verbo, quod

quod explicarent. Id in primis mihi accidit legenti Lutherum; quamquam is interdum modum excessisse videtur. Atque eo magis id mirum videbatur propterea, quod animaduertebam, orationes virorum, in librorum diuinorum interpretatione summorum, fere esse solere steriliores cum ad lectionis iucunditatem, tum etiam copiam & utilitatem. Cuius rei nescio an non vni cauissa sit, quod isti tenaces praceptorum grammaticorum nullo modo sibi persuadere possint, plures significatus in vnum interdum quasi coaluisse: sed dant plerique sua dicendi sterilitate neglectae eloquentiae poenas. Habet tamen ea res suum modum, suosque fines, ultra quos progredi non licet, nisi quis velit pro diuinis placitis sui ingenii inuenta obtrudere hominibus. Neque enim ego sum is, qui velit laudare aut omnino defendere multorum nostrorum concionatorum mores; quorum ut quisque maxime valet a natura ingenio, nullo usu lectionis defaecato, ita stultissime ineptit eo in genere: qui potius eam interpretandi peruersitatem in scholas Theologorum irrepsisse, nescio an recentiorum philosophorum culpa, dudum doleam. Legi enim, in compendiis Theologiae dogmaticae, in primis in locis de peccato & officio Jesu Christi mediatorio, earum rerum notiones collectas esse ex innumeris aliis significatibus pro arbitrio: v. c. instituitur res sic: age, videamus, quid sit sacerdos, quid propheta, quid rex in communi vita, quid satisfactio, &c. Ac sapienter illi quidem ex ipsis significatibus coniungunt eas solum ideas, quae ex auctoritate librorum diuinorum verbis subsint. Sed quid facerent, si quis aduersarius importunior eliceret inde eodem modo aut falsa, aut impia, aut absurdia? Huius ego instituti, ac rationis tradendae Theologiae auctor aut defensor, nunquam extiterim! Sed ad concionatores! quorum eo in genere lacuiam a me aut probari, aut defendi, nolit quisquam putare. Memini, ante hos duos annos me audire concionantem virum quendam, cuius nomini nunc quidem parcendum existimo, ne offendam multorum bonorum

D

ani-



animos; hunc igitur audiui dicentem de nomine Paulli per duas aut quatuor horas, quod poterat ferri, quamquam etiam sic excesserat modum. In qua oratione cum deberet ostendi, quam bene respondissent Paulli mores nomini, ac docendum esset, Paullum paullum, ac potius modice (sed latinitas non veniebat in censem) de se existimasse: laudabatur locus ex A&t. Apost. c. VIII. v. 15. Ac, vt taceam, quam barbare peccabatur in recitatione verborum graecorum, quod tamen fiebat, vt addebaratur, studiosae iuuentutis gratia; omnes, qui haec forte legerint, antequam progrediantur, rogatos velim, cogitent, num coniicendo assequantur in ipsis verbis Paullinae modestiae argumentum? Ridiculum plane est, ac potius lacrymabile: inueniebatur argumentum certissimum; & quidem in verbo σκένος, ope nimirum ipsis artis, colligendarum idearum omnium, quae dicenti in mentem, aut potius in buccam veniunt, per occasionem verbi alicuius.

Colligebatur igitur sic: Vas, quo quis velit uti, debe re esse vacuum: iam dici Paullum Deo vas selectum, i. e. quod selegerit ad usum: itaque fuisse eum vacuum, h. e. modestum, ac modice de se existimantem. Ad quas ineptias si quis sibi a me aditum muniri putet, vehementer errat. Quae enim paullo ante monimus in altero genere, ne quis definitiones verborum fingat pro arbitrio &c. ea ipsa transferenda sunt, atque accommodanda ad hanc colligendorum significatum plurius artem.

Sed de interpretandi difficultate ex genere rhetorico sat is diximus: quae una, cum cogito, quantopere impedit interpretem, quod cognoui vel in uno illo loco Ciceronis: non satis mirari possum, arrogantiam dicam, an stupiditatem eorum? qui ad interpretationem librorum, atque adeo diuinorum, accedunt, ingenio nullo lectionis usu subiecto, multo minus ab eiusmodi observationum subsidiis instruti. Me autem uberrimum fructum ex hoc scribendi labore percepisse existimabo, si

vi-


viri boni inde intellexerint, quam male consulant liberis, quos aut iuuenibus, bene latine nescientibus, erudiendos tradiderint, aut in scholas miserint, omni latinarum litterarum laude carentes. Illud quidem ex superiori disputatione satis perspicuum esse arbitramur; quod non ignorari interest nostra, quam rationem docendarum litterarum probemus, & quo genere disciplinae vti soleamus.

Sed iam animus festinat ad id, cuius cauſa scribere etiam superiora iussi sumus. Quum enim Principis nostri Clementissimi curae innumerisque beneficiis vnice debeatuer Scholae nostrae origo & conseruatio: Patri patriae, vel hoc nomine optime de ciuibus merito, celebrando oratiunculis quibusdam Ipsius natali, gratae mentis pietatem quodammodo significandam duximus. Quem actum, vt sua frequentia ornare ve- lunt, etiam atque etiam rogamus omnes, qui bonis litteris no- straeque Scholae bene cupiunt. Scripsi in Schola prouinciali Byzouensi d. VII. Nou. circ 10 CCLXIII.
















pum personae; item copiose ornateque scribere, bene beataque viuere, grauiter ferre: plane autem *atra bile tumet iecur,*  
 id si fit, magistris vel audientibus, vel etiam praeuentibus. Mo-  
 nendi igitur sunt iuuenes identidem inter legendum: verborum  
 vim aliam esse in rebus ciuilibus, aliam in rhetorici, aliam in  
 philosophia. Ego quidem in explicando Cicerone id maxime mihi  
 agendum putaui semper, vt ad dignoscendam hac ratione verbo-  
 rum vim adducerem iuuenes atque assuefacerem. Atque via illa  
 industria effedium arbitror, vt, qui olim disciplinae meae tra-  
 diti essent, id non sine sua utilitate factum esse profiterentur.  
 Hac enim ratione & magna multarum rerum copia iuuenum  
 animos locupletari intellexi, & inprimis acui iudicandi faculta-  
 tem; melius certe, quam capere possent nostri rei scholasticae  
 eueſores, qui ingeniorum conformatiōnē vnicē tribuunt suis  
 scientiis; (ita enim vocant, bonarum litterarum ne nomen  
 quidem ferentes). Sed redeo ad rem. Eius generis igitur dif-  
 ficultas in legendis veterum libris, quae virorum summorum  
 obseruationibus facile tollitur, si ingenium subactum accesserit  
 multaque lectione exercitatum: ea ipsa, quam misere pertur-  
 bet rem christianam nostris temporibus, scimus omnes, ac do-  
 lent viri boni. Quod autem in vniuersum reiiciendi non sint,  
 qui verba librorum diuinorum ad definitionis iustae subtilitatem  
 reuocanda censeant; deinde quomodo ea in re versandū, ac  
 inuestigandum, populariterne verbo aliquo vsus sit scriptor, an  
 ἀνεργίας? idque singulis locis; quod definitio non singenda sit  
 pro arbitrio, nec haurienda ex libris nostrorum philosophorum,  
 plerumque male sanorum, sed colligenda ex ipso scriptore:  
 post virorum doctissimorum scripta a me dici non est necesse;  
 praesertim cum dudum in multis multorum exemplis cognoue-  
 rim, frustra praecepta dari iis, qui non ab ineunte aetate ad  
 interpretandi sollertia adducti sint Latinorum Graecorumque li-  
 bris accurate diligenterque tractandis; inutiliter autem moneri  
 eos, quibus propter insitum quendam animi furorem proposi-  
 tūna

C